



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

16. An fuga Reorum è carceribus viam sternat Iudici ad torquendum? An inimicitia vicens inter offensum, & eum qui est de delicto suspectus? An mendacium delinquentis cum interrogatur à Iudice? An ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

licet morituri maximè vera loqui credantur; sola tamen assertio moribundi se ab aliquo vulneratum, aut veneno petitem assertentis, non sufficit ad torquendum eum, qui insimulatur. *arg. L. rationes 6. §. ejusdem C. de probat.* sicuti nec contra cædis suspectum excusat, qui aliis argumentis convinci potest, quamvis operetur ut suspectus tam facilè torqueri non debeat.

Alciat. reg. 3. præsumpt. 44. n. 2. & 3.

16. De fuga reorum non uno modo statuendum est. Si enim fugiat statim patrato crimine, præveniendò informationes de se assumptas, fuga delinquentis facit indicium sufficiens contra eum, quia arguit conscientiam delicti commissi. Quod si quis fugiat tunc primò, dum advertit de se informationes capi, vel dum citatur, talis fuga non est sufficiens ad torturam, ut docet ex comm. *Clarus hic n. 25.* quia habet causam timendi, cum se citari videt, etiamsi innocens sit: idemq; est, si post fugam citatus iterum compareat, tollit à se omnem suspicionem. Secus est teste *Clar. q. 21. n. 18.* si fuga non habeat rationem indicii, sed criminis, puta, quando mi-

do miles in bello desertis signis fugam cap-
 pit, tunc enim simpliciter condemnari
 potest, quia probatâ fugâ probatur cri-
 men, idemq; est quando fuga tale crimen
 continet, ut ad eius probationem sola sus-
 pectio sufficiat, quale est in Tutoribus per
L. Impub. de susp. Tut. Quod si crimen tale sit,
 ut ad eius probationem suspiciones non sus-
 ficiant, probabilius est non facere proba-
 tionem plenam, sed semiplenam tantum,
 & esse indicium sufficiens tantum ad tor-
 turam, non verò ad condemnationem.
 AN inimicitia vigens inter offensum, &
 eum, qui est de delicto suspectus, sit indi-
 cium sufficiens contra suspectum? DICO
 si orta sit ex causa levi, nullum facit indi-
 cium, si verò ex causa gravi & capitali,
 tunc non solum est indicium sufficiens
 ad inquirendum, id est, ad testes & infor-
 mationes accipiendas, sed etiam ad ca-
 pturam, citationem, non tamen ad tor-
 turam, ut docet *Clarus ex comm. sent. q. cit.*
num: 29. quamvis dicat aliquos propter
 solam inimicitiam capitalem suspectos
 torqueri solitos fuisse,

Sed quid de mendacio delinquentis,
 cum

cum interrogatur à Judice, titubatione, trepidatione aut turbatione? Respondeo solam variationem & incōstantiam in respondendo ad interrogata non sufficere ad torturam ex probabiliore DD. sententia. Idemq; esse de titubatiōe, turbatione, aut cordis trepidatione tenet *Clar. supra n. 39.* quia multi adeò sunt natura timidi, ut statim ad præsentiā Judicis turbari soleant: & nesciant quid dicant, cū tamen sint innocentes. Num res furto sublata & reperta penes aliquem, sint indicium sufficiens ad torturam, nisi doceat à quo acceperit? Sic est teste *Clar. ex comm. sup. cit. num. 41.* Intellige tamen, quando is, apud quem res furtiva deprehenditur, non est bonæ conditionis aut famæ. Item non procedit, si res furtiva reperiatur apud aliquem, qui huiusmodi res mobiles solitus esset emere & vendere. ita *Clar.*

17. Præcipuum, quod in hac materia attendi solet, est ordo procedendi circa torturam reorum, hoc ergo ne prætereamus, A S S E R I M U S incumbere Judici i. ut constet de delicto, priusquam Reum torturæ subiiciat. 2. an delictum tale sit,

S

pro